Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1535

Quelle:
Copyright:

Continet vero Praefatio in Cod. noſtro nonniſi Numeros 2. priores, ita, ut finiat: *ipſo lucis amore aſſueſcant*, quod et in ceteris Editionibus uſuvenire notarunt *Mauriani*. Opuſculum porro ipſum incipit: *Fratribus de monte dei orientale lumen* &c. et finit: *ſecretum meum mihi. Explicit de vita ſolitaria.*

II. *fol.* 21. p. 2. *Incipit tractatus beati Bernardi abbatis de vite ordine et Morum inſtructione.* Initium: *Hortatur quidem timidam mentis mee imperitiam* &c. Finis: *et flebilis ſupplexque tu ora hoc modo.* Abjudicant a *Bernardo* rite dicti Editores, qui hunc Tractatum *T. cit. col.* 373. exhibent, et ad ſuae familiae Autorem aliquem referunt, moti C. V. n. 16. verbis: *ſanctus Pater noſter Benedictus.* At Codex noſter ſolum legit: *pater Benedictus.*

III. *fol.* 31. *De gradibus humilitatis.* Libellum hunc primum *Bernardi* foetum adpellant *Mauriani*, quamvis ejus nomen *Codex* taceat. Extat T. II. *col.* 557. praevia S. Patris quorundam Dictorum ſuorum *Retractatione*, quam etiam *Codex* praemittit, addita inſuper Dicendorum συνοψει, quam Editores non habuiſſe videntur. Incipit Retractatio: *In hoc opuſculo, cum illud de Evangelio* &c. Ipſum Opuſculum: *Rogaſti me frater Gotthefride* &c. Explicit: *melius in tuo corde quam in noſtro codice leges.*

IV. *fol.* 45. *De gratia et libero arbitrio.* Et ad calcem: *Explicit liber beati Bernardi Abbatis de gratia et libero Arbitrio.* Initium: *Loquente me quondam* (coram) *aliquando et Dei in me gratiam commendante* &c. Extat Edit. *cit.* T. II. *col.* 603. cum praefixa Autoris ad *Guillelmum S. Theodorici* Abb. Epiſtola, quae *Codici* deeſt.

V. *fol.* 58. *Conſcientia Bernardi.* Et ad calcem: *Explicit liber de conſcientia beati Bernardi.* Initium: *Conſcientia in qua perpetuo eſt anima manſura* &c. Finis: *Si uis omnes malas cogitationes a corde tuo expellere hec ſemper cogita.* Inter *Bernardina* in prioribus Editionibus, v. g. *Pariſina* 1586. *col.* 1427. f. Sed poſt *Horſtium* omiſere *Mauriani.*

VI. *fol.* 66. Tractatus absque Autoris nomine et Inſcriptione, qui incipit: *Quoniam tres ſtatus ſunt in Eccleſia ex quibus prouenit vniuerſaliter numerus electorum, ſicut habetur exemplariter de ſancta Trinitate et fide catholica firmiter credimus circa finem, videlicet Virginum, continencium et coniugatorum* &c. Capitibus VII. contendit, Pudicitiam virginalem ceteris praeferri autoritate Scripturae, Patrum, Juris Can. Philoſophorum et rationis, idem dicendum de Continentia viduali, demum Conjugium poſt adventum Chriſti nec ſub praecepto, nec ſub conſilio, ſed tantum ſub indulgentia eſſe. Aetas ſcriptionis inde liquet, quod *Gilbertum in Cantica* citari videas, utique illum *de Hoylandia*, qui *Bernardi* magiſtri ſui *Homilias in Cantica* ſubplevit. Unde jam ad

Scho-